

TÊXTE DE CHARTES
CONCERNANT
L'ANCIEN COLLÈGE SAINTE-CATHERINE
à Soissons

(Voir p. 43, 1^{re} partie du présent volume)

Cession d'une Maison par le Chapitre de Soissons

Universis presentes litteras inspecturis Johannes prepositus totum que Capitulum ecclesie Suessionensis salutem in Domino. Notum facimus universis quod cum nos et ecclesia nostra haberemus et possideremus jure nostro quandam domum nostram debilem et ruinosam ac maxima et necessaria reparatione et refectione indigentem sitam Suessione in vico de Girondain ab opposito domus Thome de Brumeto contiguam domui capellanie sancti Ludovici in ecclesia nostra Suessionensi ex parte una et domui Johannis dicti Plansson civis Suessionensis ex altera ac muris civitatis Suessionensis a posteriori in treffondo reverendi patris in Christo domini Episcopi Suessionensis (1) competenter admortisatam, accedens ad nos propter hoc inter cetera in nostro capitulo generali more debito et solito congregato vir venerabilis et discretus dominus Aubertus de Guingnicurte tunc nostre Suessionensis ecclesie decanus nobis supplicavit quod cum ipse propositum haberet ut dicebat, dictam domum reedificari et meliorari faciendi et ibidem scolares instituendi et fundandi ac eisdem de certis redditibus providendi, quod nos mediante justo et competenti reddito seu annuo supercensu, pefatam domum nostram cum suis aisiametis et pertinenciis universis eidem ad opus sui et dictorum scolarium quibus noster Dominus Aubertus dictam domum duxerit applicandi et assignandi perpetuo tenendam con-

(1) Pierre de Chappes.

cedere et tradere ac relinquere dignemur secundum ordinationem quam ipse ad opus dictorum scolarium et eorum provisoris et magistri duxerit faciendam. Nos attenta supplicatione dicti Domini Auberti supra dicta habito super hiis consilio competenti et habita super hoc in nostro generali capitulo predicto per plures dies inter nos deliberatione competenti considerata repertaque et attenta in his agendis nostra nostreque ecclesie utilitate evidenti prefatam domum nostram cum toto pourprisio et pertinentiis eiusdem universis, prefato domino Auberto ad opus sui et dictorum scolarium quibus et ipse dictam domum cum meliorationibus ibidem faciendis voluit applicare sive dare ac quomodo libet ordinare. Tradidimus et concessimus de nostro communi assensu et adhuc tradimus et concedimus per presentes legitime et imperpetuum secundum ordinationem predictam habendam tenendam et perpetuo possidendam ab ipso domino Auberto illis que scolaribus quibus ipse dominus Aubertus dictam domum assignaverit aut concesserit annuatim imperpetuum mediante annuo et perpetuo reddito sive supercensu quatuor librarum parisiensium nobis et ecclesie nostre ac argentarie ejusdem de dicto domino Auberto seu ejus successoribus aut illo vel illis cui vel quibus ipse Dominus Aubertus dictam domum cum suis meliorationibus quocumque titulo tenebunt singulis annis imperpetuum infra quindenam post sanctum Pascha reddendo et solvendo dictam domum cum suis pertinentiis dicto annuo et perpetuo reddito sive supercensu quatuor librarum parisiensium onerantes et eam sic oneratam et erga nos ecclesiamque nostram et argentariam ejusdem dicto domino Auberto ad opus sui et aliorum predictorum eam sic oneratam et obligatam recipienti perpetuo relinquentes, nichil juris proprietatis domini vel actionis seu aliquid aliud contra dictum perpetuum redditum sive supercensum annum quatuor librarum parisiensium in eadem domo seu pertinentiis ejusdem quomodo libet retinentes. Promisimus insuper et promittimus legitima ac

bona fide nec non sub ypotheca et obligatione rerum nostrarum quoruncumque dictam domum prout eam tenemus et possidemus admortisatam cum suis pertinenciis mediante dicto annuo et perpetuo reddito sive supercensu nobis et ecclesie nostre ac argentarie ejusdem ut prefertur reddendo et solvendo dicto domino Auberto et dictis scolaribus ibidem instituendis causam habentibus et habituris ab eodem perpetuo deliberare et garandisare erga omnes.

Et contra premissa seu eorum aliqua de cetero non venire renunciantes legitime in hoc facto omnibus exceptionibus et allegationibus quibus cumque que contra presens instrumentum seu contenta in eodem possent obici sive dici maxime omnibus solemnitatibus debitis et solitis in transactionibus traditionibus et alienationibus rerum et bonorum ecclesiasticorum observari.

In cujus rei testimonium Sigillum capituli nostri predicti presentibus litteris apponendum. Datum et actum in nostro capitulo generali predicto nobis ut prefertur ibidem more debito et solito congregatis de communi omnium nostrorum voluntate et assensu anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto die jovis post festum sanctorum Gervasii et Prothasii (22 juin)

Charte de Fondation du Collège Sainte-Catherine.

In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti amen. Universis et singulis presentibus pariter et futuris presentes litteras seu cartam ac publicum instrumentum inspecturis, Aubertus de Guignicurt decanus ecclesie Suessionensis salutem in eo qui est omnium vera salus. Quoniam nullum boni potest esse operis edificium cui Christus non subicit fundamentum laudabilisque propositi desiderium ex humane fragilitatis condicione sepius optato retardatur effectu, nisi divinis obtentis suffragiis ad finis efficaciam intendatur cum fiant omnia propter deum et bonum finem, frustra enim..... solennitas agendorum. Hinc est quod ego huius rei consideratione permotus, finem cepit, cooperante domino nostro Jhesu Christo, ponere cupiens, ordinationes et statuta edidi et edo, feci et facio infrascriptas vel infrascripta ac in presentibus inseri feci et facio sub modis condicionibus et formis inferius declarandis . Ego altissimo gratias exhibens de bonis et honoribus que et quos dominus deus michi contulit in hac vita et que cotidie ex sua indeficiente clemencia conferre non cessat, volens tantorum beneficiorum memor existere nec ingratus, sed de ipsis non immerito continuata meditatione recolens, considerans insuper et attendens in tanto divinum augmentari cultum quanto multiplicari contigerit numerus servitorum, quodque ad divinum servicium precipue sint assumendi qui in grammaticalibus et liberalibus scientiis magis fuerint eruditi, cupiens ob hoc et volens summopere toto

cordis affectu, prout michi est possibile, tales personas de bonis a deo michi collatis in grammaticalibus scientiis erudiri et in studio enutriri qui adeptis morum et litterarum saltem in grammaticalibus scientiis, prout mea patrisque et matris parentumque eorum, Jacobique fratris ac fratrum sororumque et aliorum amicorum et benefactorum meorum remedio animarum reddent domino famulatum. Idcirco ego quandam domum sive quoddam hospitale conveniens et competens pro octodecim clericis scolaribus in grammaticalibus studentibus ac pro magistro et coquo sive valletto eorumdem de meo construi fierique, fundari et perfici feci in civitate Suessionensi in vico de Girondain ab opposito domus Thome quondam dicti de Brumeto in quadam domo que quondam fuit ecclesie Suessionensis, tunc debili et ruinosa, maximaque et necessaria reparatione indigenti, contigua domui capellanie sancti Ludovici in ecclesia Suessionensi ex parte una, et domui Johannis dicti Plansson civis Suessionensis ex altera, et muris civitatis Suessionensis a parte posteriori sub treffundo reverendi patris in Christo domini Suessionensis episcopi competenter admortizata, quam ad opus scolarium predictorum acquisivi a venerabilibus viris dominis Preposito et capitulo ecclesie Suessionensis oneratam cum suis aisiamentis et pertinentiis universis annuo et perpetuo reddito sive supercensu quatuor librarum Parisiensium ipsis venerabilibus viris et eorum ecclesie ac argentarie eiusdem singulis annis imperpetuum infra quindenam post *sanctum* (?) Pascha persolvendo, prout in inde confectis litteris plenius continetur. In qua siquidem domo seu hospitali quamdam capellam de novo etiam construi et edificari feci et in eadem capella capellaniem perpetuam deservendam per religiosos et honestos viros canonicos ecclesie sancti Johannis in Vineis Suessionensis de voluntate et consensu reverendi in Christo Patris domini episcopi Suessionensis ac venerabilis patris domini abbatis sancti Johannis predicti eiusque conventus ordinari, pro cuius dotatione perpetua dedi, concessi et

transtuli, do, concedo et transfero et perpetuo quitavi et quitto predictis religiosis pure et libere quasdam domos quas emi ab heredibus defuncti magistri Geraldii de Vienna et Gosherti de Nantholio, prout undique se comportant, situatas in quadrivio sancti Remigii Suessionensis in dominio et alta justicia reverendi patris in Christo prefati domini Suessionensis episcopi per ipsius patentes litteras admortizatas mediantibus tresdecim denariis Cathalaunensis monete debite eidem domino episcopo singulis annis ratione cuiusdam redibencie seu consuetudinis que communiter seu vulgariter « taxement » nuncupatur, persolvendi (*sic*) annuatim prefato reverendo patri aut servientibus eiusdem infra octabas festi beati Remigii in capite octobris. Que quidem domus sunt contigue ex una parte domi Premonstratensi et ex altera grangie Gregorii *Dunas* ? civis Suessionensis prout se extendunt. Etiam pro eadem dotatione capelle dedi et dono quamdam peciam vinee Suessione situate juxta vicum Crisie versus Bootum decem sextarios terre vel circiter continentem in dominio et alta justicia supradictis, contiguam domui Johannis Fabri de Septemmontibus ex parte una et domui Symonis de Lauduno ac domui Laurentii quondam dicti Grosgrain ex altera quam a Simone dicto Freron de Crotoy sentifero et domicella Johanna eius uxore ac Johanne dictorum conjugum filio acquisivi onerata annuo censu unius denarii nigri monete Suessionensis prefato domino Suessionensi episcopo persolvendi et ab eodem admortizata, salvis eidem et successoribus suis episcopis Suessionensibus duobus solidis Parisiensium censualibus annuatim in festo beati Remigii ultra censum consuetum persolvendi (s). In qua notata capella sic infra terminos parrochialis ecclesie sancti Remigii Suessionensis edificata et fundata, ob divini cultus augmentum, in honore dei, Beate Marie Virginis, sancte Anne matris eius et beate Katherine Virginis, ut prefertur, et dotata, perpetuis temporibus qualibet ebdomada tres misse videlicet die lune, si commode fieri possit : una pro def-

functis ordinata pro mea, patris et matris, ac fratrum et sororum, amicorum, recommendatorum et benefactorum meorum animarum remedio et salute ; altera in quo die et de quo melius elegerint canonici predicti cum commemoratione defunctorum predicta, et tertia die sabbati, si commode fieri possit de Beata Virgine Maria cum commemoratione predicta per dictos canonicos vel per dictum curatum qui pro tempore fuerit vel fuerint in dicta parochiali ecclesia sancti Remigii commorantes seu per alium vel alios sacerdotes ab eo vel eis deputatos si commode per eosdem canonicos fieri non possint, celebrabuntur. Ita tamen et quod in quatuor festis Beate Marie Virginis, in festo sancte Anne matris eius et in festo Beate Katherine missa inibi quolibet festo predicto cum nota debeat celebrari et quod in fine octavarum earumdem festivitatum missam dicere tenebuntur absque nota. Que omnia et singula superius expressa ex statuto, ordinatione, permissione ac expresso consensu pariter et assensu religiosorum virorum domini abbatis tociusque conventus ecclesie sancti Johannis in Vineis Suessionensis ac ad ipsorum supplicationem ex reverendi in Christo Patris domini episcopi Suessionensis predicti approbatione et pontificali confirmatione duxi effectualiter obtinenda et perpetuis temporibus inviolabiliter et irrevocabiliter in omnibus et per omnia fideliter observanda, prout in inde confectis litteris michi concessis plenius et laciis hec omnia continentur, ac etiam prout in presentibus sub compendio superius et inferius duxi plenius ordinandum et principaliter declarandum.

Statui igitur et per presentes statuo et ordino quod dicta domus seu hospitale cum capella seu oratorio de novo fundata ut predicatur de cetero perpetuisque temporibus et ex nunc spectet et pertineat pureque, simpliciter et libere remaneat octodecim clericis scholaribus in grammaticalibus studentibus eligendi(s), assumendi(s) instituendis et ponendis ac inibi nutriendis et regendis secundum modum, formam et morem inferius declaratos ac etiam magistro et

coquo sive valletto eorumdem, quibus et ad opus ipsorum ac pro ipsis dictam domum seu hospitale cum oratorio seu capella sic de novo constructa et fundata gratiose dono et eisdem totaliter cum suis juribus, aisiamentis et pertinentiis universis appropriavi et proprio et in usus suos proprios applicavi et applico applicarique penitus et converti volo et ordino in modum subscriptum.

Statuens videlicet quod anteriorem partem dicte domus seu hospitalis porte eiusdem contiguam et per me hactenus locari solitam cum grenariis de supra dictam anteriorem partem dicte domus singulis annis imperpetuum per dictos dominum abbatem et curatum sancti Remigii vel per alium canonicum ipsius ecclesie sive monasterii quem ad hoc dictus dominus abbas duxerit eligendum, conducere teneantur et locare, et quod huius locagia et pecunia ex ipsis proveniencia in solutione census sive supercensus debita venerabilibus viris, capitulo ecclesie Suessionensis aut argentarie dicte ecclesie quatuor librarum parisiensium convertantur et ponantur, ac solvantur infra terminum supradictum. Et quod de residuo locagii dicte anterioris partis dicte domus et grenariorum cum pertinentiis suis, si aliquod fuerit residuum, dicta anterior pars ipsius domus ac eciam dicta domus dictorum clericorum etiam capella cum pertinentiis earumdem ac duodecim lecti ad usum ipsorum scolarium et coopertoria lectorum huiusmodi, scutelle, vasa et alia ustensilia coquine necessaria de nouo ementur et reficientur, emendentur (1) et meliorentur ac reparentur similiter aut particulariter prout casus exigencia requisiverit in predictis, et nisi locagium predictum suffecerit ad premissa complenda, reparanda, emendanda et emenda prout supra annotatur, quandocumque et quocienscumque oportunitas in premissis occurerit, quod de et super preventibus, exitibus et redditibus infrascriptis capiatur quicquid defecerit ad predicta facienda absque eo quod dicti

(1) In mss, on lit : emendantur.

clerici dictam anteriorem partem sue mansioni applicare seu pro se ipsis applicandis et morandis ibidem valeant quomodolibet, retinere, quinimo de totali residuo dicte domus, prout est in ipsa dispositum, pro sua mansione sint contenti, dimissa parte anteriori predicta extraneis annuatim sic locanda. Quibus quidem octodecim clericis scolariibus magistro et coquo sive valletto eorundem necessaria providens pro eorum sustentatione ac pro retentione (?) domus de Mediavilla et proventuum rerumque bonorum eorundem subscriptorum assignavi et assigno eisdem specialiter et donavi et dono ac in eos penitus expresse transfero domum et grangiam cum pertinenciis earundem quas emi a magistro Johanne de Sancto Ermino et eius heridibus in villa de Mediavilla situatam que pro maiori parte libera est et pro parte tertia vel quarta a quondam nobili viro Johanne armigero de Mediavilla tenebatur ab eo admortizata et per dominum regem confirmata tali condicione quod dicta minor paris dicte domus semper dicto Johanni et heredibus aut successoribus suis in uno denario Parisiensi et una gallina tenebitur annuatim, prout est pro censibus solvere consuetum altam justiciam, nichil aliud pro se et successoribus suis imperpetuum retinendo.

Item sexinginti et duodecim jornalialia terre arabilis tam iu praeria quam alibi et unum jornale prati cum dimidio vel circiter admortisatum vel admortisata onerata singulis annis pro pura elemosina in quinque solidis turonensium et sex lotis olei, omni alio onere servitutis et redibenciorum..... vel exempta, que omnia in villa et territorio de Mediavilla et de Novocastro Laudunensis dyocesis habeo et tanquam meas proprias possideo. Quas quidem terras et prata consuevi dare ad censam et firmam una cum dicta domo de Mediavilla.

Item duodecim libras turonensium capiendas annuatim super censibus et redditibus meis de dicto loco de Mediavilla admortisatas michi debitas In festo beati Remigii in capite Octobris et in festo beati Dyonisii proxime sequente

solendas, ad opus dictorum clericorum scolarium a gubernatoribus et recipientibus eosdem cum dampnis expensis et interesse, si non satisfecerint infra terminos supradictos vel saltem infra octo dies sequentes.

Item volo et ordino quod post decessum meum, si duodecim lecti clericorum non fuerint boni et sufficientes competenter et coopertoria eorum, utensilia coquine et res pertinentes ad eandem ac eciam ornamenta capelle, quod reficiantur, reparentur et emendantur (*sic*) et si necesse fuerit in aliqua parte de novo emantur vel capiantur de bonis meis mobilibus in hospicio in quo consueveram habitare et etiam consuevi, et ubicumque bona mea mobilia sint reperta.

Item volo et ordino quod censario predictae domus de Mediavilla post mei obitum de animalibus meis tradantur septuaginta oves quarum quinquaginta sint saltem duorum annorum et alie viginti unius anni, et quatuor vace saltem trium annorum, et due unius anni, et duo vituli ad medietatem secundum quod est censariis dare in partibus consuetum pro dictis clericis et ad opus ipsorum, et quod quicumque censarius fuerit, nulla animalia nutrire poterit nisi ad medietatem et ad opus dictorum clericorum. Et si mortalitas accideret, quod absit, et animalia predicta partita essent nec pars dictorum clericorum esset sufficiens ad rependum ad medietatem quod de residuo supradicta terre clericorum prenominatorum, si aliquod fuerit residuum, alia emerentur animalia, prout et in quantum esset necessarium ad dicto censario tradendum ad medietatem, et in casu in quo non esset residuum competens, quod deesset ad hoc faciendum quod de residuo..... et supercensuum eorum ac de redditibus meis aliis de Mediavilla animalia alia emerentur, prout est dictum, et dicto censario ad medietatem darentur secundum modum et formam superscriptos pro quorum quidem octodecim clericorum scolarium ac magistri et coqui sive valleti eorundem substantatione et domorum reparatione ac solutione sive satisfac-

tione facienda illis qui inferius nominantur et pro aliis necessariis faciendis super et de predictis terris, pratis et duodecim libris ac animalibus capiantur quolibet anno omnia illa que per ordinem inferius describuntur.

Primo decem modia bladi quale creverit in dictis terris de Mediavilla et de meliori pro faciendo panem pro victu octodecim dictorum scolarium clericorum magistrique et coqui sive famuli eorumdem reddenda et adducenda solvenda eis annuatim in grenariis dicte domus dictorum scolarium clericorum ad mensuram fori Suessionensis loco et tempore competentibus.

Item unum modium frumenti cum dimidio et de meliori pro pisis et aliis potagiis emendis, ut est dictum que volo ante omnia et precipio penitus sibi solvi sine diminutione quacumque.

Item pro condimentis potagiorum ipsorum pro lardis saginne vel porcis annuatim septem libras et decem solidos turonensium.

Item pro lignis in coquina et scolaribus calefaciendis tempore gravioris frigoris septem libras et decem solidos turonensium.

Item pro sale triginta solidos turonensium.

Item pro oleo et pro lampade accendenda ante capellam a festo nativitatis beate Marie qualibet nocte usque ad carniprivium et pro potagiis condiendis triginta solidos turonensium.

Item pro straminibus pro lectis faciendis viginti solidos turonensium.

Item pro magistro scolarium dicte domus quadraginta solidos turonensium cum tribus solidis parisiensium quos a quolibet scolari predicto percipiet et habebit et eidem persolvi volo annuatim ultra victum tradi consuetum aliis scolaribus, et quod dicti magister, clerici, coqus sive valletus nichil habeant de bonis communibus nisi communiter in mensa percipiant et personaliter in domo resideant, excepto

quod si aliquis eorum infirmus fuerit vel distraciatus in camera poterit sicut alii habere portionem.

Item famulo sive valletto sive coquo dictorum scholarium viginti solidos turonensium et una cum hoc tres solidos parisiensium quos eciam a quolibet scolari predicto percipiet et habebit annuatim pro labore suo et pro orto dicte domus laborando, colendo et seminando et olera colligendo et preparando et omnia alia ad hoc necessaria faciendo per se vel altum ad expensas suas et quos proprie habet eidem persolvi volo annuatim ut est dictum.

Item pro cereis in festis duplicibus quando missa celebrabitur cum nota in capella predicta et in anniversariis meis similiter in vigiliis et commendationibus et in vesperis beate Marie Virginiis sex libras cere annuatim capiendas a censario dicte domus de Mediavilla tradituras (?) magistro scholarium dicte domus.

Item pro domo de Mediavilla retinenda de muris et grosso merrienno triginta solidos turonensium quolibet anno qui per prefatum dominum abbatem sancti Johannis usque ad tempus oportunum debent conservari et eidem solventur die compotorum quolibet anno.

Item venerabili et religioso viro domino abbati monasterii sancti Johannis in vineis Suessionensis vel alteri religioso de monasterio suo cui idem abbas voluerit committere vices suas, ac eciam rectori parrochiali ecclesie sancti Remigii Suessionensis qui pro tempore fuerit vel alteri dicti monasterii canonico quem prefatus dominus abbas duxerit eligendum pro visitatione et correctione scholarium predictorum, pro compotis reddituum terre supradicte..... quolibet anno pro provisione predictorum scholarium consulenda tempore et loco facienda ipsisque scholaribus distribuenda, pro sollicitudine circa predicta cum pertinentiis suis, pro eciam residuo reddituum terre predicte, si quod fuerit, custodiendo et d'stribuendo loco et tempore opportunis, pro penis suis sexaginta solidos turonensium.

Item pro tribus infrascriptis electoribus scholarium pre-

dictorum qui post decessum meum gubernabunt terram et redditus de Mediavilla cuilibet viginti solidos turonensium annui et perpetui redditus.

Item pro una torchea accendenda quando levabitur corpus domini in capella et pro augmentatione luminarum in capelle quando celebrabitur missa viginti solidos turonensium annuatim que omnia prenominata capientur ut est dictum.

Item volo et ordino et precipio quod post decessum meum de bonis meis capiantur, assignentur et tradantur dicto domino abbati et curato ecclesie sancti Remigii vel alteri canonico deputato ab ipso domino abbate decem modia bladi et unum modium frumenti cum dimidio ad mensuram fori Suessionensis.

Item viginti tres libras et decem solidos turonensium pro necessitatibus dictorem octodecim clericorum, magistri et valleti eorumdem faciendis pro uno anno, prout est superius ordinatum, ut ipsi habeant semper fructus unius anni reservatos, ut valeant habere suas provisiones preparatas, et plenius adiscere ac domino nostro Jhesu Christo in pace deservire, et quod de hoc usque ad diem obitus mei sint contenti, nec plus ultra valeant neque possint petere, requirere sive exigere de terris, pratis et possessionibus, censibus et redditibus prenominatis, nec ab heredibus et executoribus meis vel a me causam habentibus, neque teneantur dicti heredes aut executores mei vel alii a me causam habentes ipsis scholaribus aut aliis quibuscumque de predictis terris, pratis, possessionibus, censibus et redditibus meis supradictis aliquem compotum facere nec reddere.

Item insuper ordino et inviolabiliter observari volo et precipio quod dicti magister et clerici dicere teneantur ab octabis festi sancti Pasche usque ad octobas festi apostolorum Petri et Pauli qualibet ebdomada unum psalterium, videlicet qualibet die unum nocturnum una cum letaniis et orationibus propriis.

Item omnibus vigiliis, dominicis et festivis novem lectionum dicti magister et scolares dicere tenebuntur et cantare in vesperis officium mortuorum, videlicet vigiliis ad novem lectiones et die sequenti commendaciones pro anime mee, patrisque et matris, fratrum et sororum, amicorum et recommendatorum ac benefactorum meorum ac eciam ipsorum clericorum remedio et salute, horas beate Marie Virginis qualibet die dicere tenebuntur, ac eciam alias orationes et servicia deo et beate Marie Virgini gratissimas, prout consueverunt facere et melius si possint.

Item statui et statuo, ordinavi et ordino quod si aliquis verus scholaris et pauper de Guingnicurte, de Prouvaisio aut de Anna aut de villis circumvicinis Suessioni studens fuerit volens fragmenta mense clericorum quod sibi cotidie ministrentur.

Item statui et statuo, ordinavi et ordino quod dicti clerici ad invicem loquantur latinum tam in scolis quam in domo et quod ad scholas similiter vadant et revertantur, nisi acciderit quod magni habeant cicius ire prolectionibus suis audiendis in aurora, et quod ad ecclesiam audituri missam diebus dominicis et festivis novem lectionum et ad sermones similiter vadant. Insuper quod per villam non vadant pro quacumque re nisi prius a magistro habita licencia et obtenta contrarium facientes corrigantur.

Preterea sciendum est quod electio, presentatio et institutio predictorum clericorum scholarium et eciam gubernatio et receptio terre supradicte de Mediavilla sic fiet post cursum vite mee futuris temporibus ac fieri volo penitus et servari, videlicet per unum propinquiorem heredem meum et antiquiorem de propria linea patris mei existentem si voluerit, vel per alium juniorem si primus noluerit vacare circa premissa ac eciam per proprium curatum de Guingnicurte qui pro tempore fuerit, si in loco resideat personaliter qui secum unum de Custodibus de Guingnicurte probiorem eligent et assument, et ubi absens esset dictus curatus ille propinquior heres meus et custos sic electus

alterum eiusdem ecclesie custodem seu alium virum fide dignum, quem voluerint, in tercium eligent communiter et assument usque ad redditum curati predicti qui tercius consimilem cum duobus predictis, videlicet herede meo et custode primis clericis predictis habebit et habere volo potestatem in predictis clericis eligendis, instituendis ac etiam in ceteris gubernandis et recipiendis quousque in dicta ecclesia prefatus curatus residenciam faciet personalem, et etiam in casu in quo dictus curatus vacare non vellet aut non posset circa premissa, quod dicti meus heres et custos eligendus per ipsum alterum secum in tercium eligent et assument, ut est dictum, ita quod in presencia seu absentia curati predicti semper sint tres dicentes in premissis; et ubi esset discordia, quod absit, inter heredem meum et rectorem ecclesie de eligendo custodem pro tercio, vel inter heredes, quis ipsorum esset propinquior aut quod dictus meus propinquior heres esset insufficiens, illi qui vulgariter quatuor homines de Guingnicurte nuncupantur jurabunt de persona vel personis sufficiente vel sufficientibus de propinquieribus heredibus predictis *eligere* (?) et volo et jubeo quod eorum dictum conservetur, et quod dicti quatuor homines pro labore suo percipiant et habeant de bonis meis supradictis, quocienscumque casus acciderit, quinque solidos turonensium. Qui tres sic electi similiter jurabunt et per juramentum suum astricti erunt quociens de novo instituentur vel alter eorum de novo instituetur quod bene et fideliter pro posse suo meliores pueros et magis ydoneos ad studendum eligent qui fuerint et sint bone fame, vite laudabilis et de legitimo matrimonio procreati et quod etiam predictos redditus dicte terre bene et sufficienter gubernabunt seu etiam facient gubernari per alterum eorumdem et quod de eisdem receptis coram dicto domino abbate sancti Johannis seu ab eodem deputato ac etiam curato sancti Remigii predicto qui pro tempore fuerit vel alteri dicte ecclesie canonico quem dictus dominus

abbas duxerit eligendum quolibet anno reddant compotum integre et fideliter una vice.

Modus autem eligendi et presentandi dictos clericos taliter fiet ac fieri penitus volo et servari. In primis sciendum est quod in dicto hospicio Suessionensi ponere et instituere tenebuntur ponique ac institui volo ac ordino decem et octo clericos, ut premittitur, qui sint doctibiles, ydonei ad grammaticam audiendam et de honestis parentibus oriundi, qui eciam tales sint quod jam Donatum et librum Cathonis audiverint et latinum faciant et eciam tonsuram clericalem habeant antequam apponantur ibidem ac eciam tresdecim annos etatis sue saltem habeant nec alio modo ibidem recipiantur, de quorum numero predicti tres electores de Guignicurte apponent quindecim modo et forma inferius denotatis et reverendus in Christo pater dominus episcopus Suessionensis ac successores sui apponent unum, dominus abbas sancti Johannis predicti ac successores sui apponent unum et curatus sancti Remigii ac successores sui vel alter canonicus dicte sancti Johannis ecclesie per dictum dominum abbatem electus ad predicta facienda similiter unum, de quibuscumque partibus voluerint, dum tamen tonsurati sint et ydonei, ut prefertur, ac eciam de legitimo matrimonio procreati, ut maiorem habeant diligenciam de utilitate, promotione et defensione omnium scolarium predictorum ac eciam honorum ad eos pertinentium. Et ad eorum bona custodiendum conservandum, reddendum et distribuendum pro suis necessitatibus loco et tempore faciendis, dictos numero quindecim clericos eligent et assument dicti tres electores de Guignicurte, eligique et assumi volo modo et forma qui secuntur.

Ordinando videli et quod in villa de Guignicurte assumantur decem procreati et nati de linea et progenie patris et matris meorum, si inibi valeant reperiri, et si non tot, tamen sex vel quinque ad minus de dicta parentela vel alterius ipsorum eligantur et assumantur eciam si dicti sex vel quinque librum Cathonis non audiverint, dum tamen

Donatum didicerint, et quod dictos tresdecim annos non habeant, si tamen undecim sue etatis annos compleverint, reliqui vero quatuor vel quinque, prout magis ydonei reperiri potuerint, in dicta villa de pauperibus clericis assumantur.

Item, in villa et parrochia de Prouvais assumantur duo qui sint de eadem parentela si inibi reperiantur, et si non duo, tamen unus si inibi possit reperiri.

Item, in villa de Amia duo modo quo supra.

Item, in villa de Mediavilla unus, si inibi possit reperiri, et si non, queratur in villa de Novo Castro et ibidem assumatur. Si vero in predictis villis non posset predictorum quindecim clericorum numerus adimpleri, in propinquiorebus et circumadiacentibus villis compleatur defectus modo et forma predictis, hoc advertendo firmiter et tenendo quod quocienscunque aliqui predictorum clericorum fuerint electi seu assumpti, antequam mittantur Suessionem, patres et matres eorum tenebuntur jurare solempniter quod bona, possessiones, jura, proventus, hereditates et exitus dicte terre de Mediavilla et de Novo Castro cum pertinenciis suis custodient, et si viderent vel scirent aliquem vel aliquos dampnum sive dampna facientes in predictis bonis, possessionibus, juribus, proventibus, hereditatibus et exitibus, ipsum vel ipsos retraherent, et ubi non possent, gubernatores..... vel..... pro posse suo toto tempore vite sue nec aliquo modo per se vel per alium vel per alios facient aut permittent quomodolibet impediri; et tales, sicut premittitur, ydonei et sic electi mittantur et mitti volo dictis domino abbati et curato parrochialis ecclesie sancti Remigii Suessionensis vel deputato canonico ab ipso domino abbate qui pro tempore fuerit qui eosdem in dicta domo collocent et instituant..... facientes mentionem de sic electis et juramento predictis, et sic in dicta domo instituti et positi, inibi maneant studio grammaticae vacantes, honeste conversantes ac secundum regulam et modum vivendi sibi traditos commorantes ac statuta et

ordinationes factas et faciendas servantes, quod facere per suum juramentum promittant, quodque bona, possessiones, jura et proventus dicte terre de Mediavilla et de Novo Castro predictos contra impediētes et detrahentes pro posse suo custodient et deffendent, et erunt fideles amici ad invicem ita quod, si vivant, unusquisque alterum promovebit et per alium seu alios, prout commode poterit, ad promovendum et ad adjuvandum bono modo faciet suum posse ut *potuerint* in nativitate domini per quindecim dies et in resurrectione ipsius per decem dies similiter, et ab octabis sanctorum Petri et Pauli usque ad festum assumptionis beate Marie Virginis in quibus dicti magister, famulus et scolares ad sua propria domicilia vel alibi extra domum scolarium predictorum revertentur et deverti tenebuntur ad hoc ipsos astringens, vel si aliqui ipsorum..... dicta domo, nichil de bonis communibus eiusdem percipient aut habebunt nisi magister et famulus, et si in eadem morari voluerint aut unus vel duo de scolariis *prenominatis* ? de quo vel quibus dictus dominus abbas et curatus sancti Remigii vel alter canonicus per dictum dominum abbatem duxent ordinandum pro dicta domo et rebus in ea existentibus custodiendis cui vel quibus panis..... *quo primo* ? quinque annorum elapso, amoveri tenebuntur et debebunt et alii substituentur loco illorum simili modo alio *quinquennio* elapso amoturi. Si vero durante quinquennio mansionis eorum aliqui invenientur indociles, male vite, bellicosi, lubrici, incorrigibiles, inobedientes magistro suo et super omnibus *sint* ?..... et honestis..... predicti..... prefixione per curatum sancti Remigii predictum vel alium canonicum ecclesie sancti Johannis a domino abbate deputatum vel deputandum et per *magistrum* ? predictorum scolarium habito consilio domini abbatis predicti de dicto hospicio removeri poterunt et debebunt et expelli, et mando, ordino et volo ipsos

..... Curati sancti Remigii vel alterius canonici et

magistri predictorum scolarium de repulsione et amotione ipsorum predictis electoribus reservatis sive missis qui? alium clericum ydoneum loco predicti amoti, eligant et remittant prout est superius ordinatum. Magistrum vero scolarium ac eciam famulum eorundem eliget et assumet curatus sancti Remigii vel alter canonicus *eccelsie* (?) Sancti Johannis in Vineis predicti per dictum dominum abbatem ad hoc deputatus per consilium et voluntatem ipsius domini abbatis et tales qui sint homines bone fame et bere morigenati, specialiter quod idem magister sit sufficienter litteratus, bonis scolaris et conversatione maturus ita quod in sua grammaticae possit ipsos scolares sufficienter imbuere, erudire et docere ac eciam quam in... ipsos ad bene et sancte vivendum excitare, ac eciam quantum poterit informare et eciam corrigere et punire verberando, blasphemando et de maleficiis et excessibus suis retrahendo quociens et quando delinquent, et hoc in prima sui receptione facere jurabit.

Completis supradictis quibus superius dividuntur pagatis et solutis anno quolibet. *ipsius anni* (?) et ceterorum reddituum, sicut superius est divisum adimpletis, si aliquod residuum superfuerit predictarum, illud residuum custodietur et distribuetur, cum tempus fuerit opportunum, per predictum dominum abbatem et curatum sancti Remigii qui pro tempore fuerit vel per alium dicte ecclesie sancti Johannis pro necessitatibus hospicii supportandis et... pro utilitatibus et provisionibus scolarium predictorum tempore et loco faciendis, aut etiam pro predictis redditibus augmentandis seu defectibus complendis, prout melius et commodius duxerint faciendum, et quod si dicte domui seu scolariibus eiusdem donum seu legatum aliquod factum fuerit, quod donum seu legatum excedat viginti solidos turonensium, quod *predictus curatus vel* (?) canonicus sancti Johannis recipiat et conservet ad hoc quod pro dicta domo predictorum scolarium perpetui redditus per dictum dominum

abbatem emanatur et in futuris temporibus augmententur. Si autem minoris summe fuerit donum seu legatum predictum, quod illud in aliis dicte domus necessitatibus convertatur.

Predictas autem meas ordinationes, declarationes, fundationes et statuta ac omnia et singula supradicta, prout superius et per ordinem sunt expressa, volo et jubeo firmiter et inviolabiliter utque fideliter in omnibus et per omnia servari et teneri, eademque ex nunc imperpetuum servare bona fide promitto et tenere nullaque de causa contraire facere vel venire, nec ea seu eorum aliqua quomodolibet revocare, sed volens eadem in suo robore penitus remanere, quodque omni actu et juri circa hec competentibus et quibus melius valere potuerunt et prodesse legitime roborentur, contradictionis alicuius obstaculo seu consuetudine vel oppositione contrariis non obstantibus quibuscumque, retenta tamen penes me, quoad vixero, addendi, muniendi, augendi, detrahendi, mutandi, corrigendi, declarandi, interpretandi circa premissa omnia et singula seu eorum aliqua auctoritate plena et legitima potestate, omnes alias ordinationes et legata jam dictis scholaribus ac eorum domui per me factas tenore presentium penitus et expresse revocans, presentibus solis in suo robore permansuris.

Rogans ac requirens humiliter et devote virum venerabilem et discretum officialem curie suessionensis quatinus ad maiorem roboris firmitatem atque ad rei perpetuam memoriam sigillum curie Suessionensis una cum sigillo meo, et signis ac subscriptionibus notariorum publicorum infrascriptorum velit opponere.....

In quorum omnium et singulorum testimonium sigillum meum una cum sigillo dicte curie et signis ac subscriptionibus notariorum publicorum infrascriptorum presentibus litteris seu presenti instrumento apposui, quas seu quod per modum originalis feci ac petii pluries duplicari. Datum Suessione in aula..... anno domini

millesimo trecentesimo quadragesimo quinto, indictione tercia decima, mensis septembris die quarta, circiter horam Prime, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divina providencia papæ VI^o anno quarto. Presentibus venerabilibus et discretis viris dominis et magistris Roberto de *Vessongenal?* scolastico, Gerardo..... Simone de Corbeya, Richardo de Abbatisvilla, canonicis, Lamberto de Coullegis, capellano perpetuo, et Johanne de Chassemy, capellano reliquiarum ecclesie suessionensis, Richardo de Courdou, presbytero, Pressonno de Vassongina, Guidone de Prouvaisio, Auberto Nicolai de Guingnicurte et Odone Hervil, clericis Suessionensis, Laudunensis et Ambiani dyocesis, ac pluribus aliis testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et nos officialis Suessionensis ad rogatum domini decani prefati, ac ad relationem notariorum subscriptorum ac ad maiorem rei evidenciam et cautelam, sigillum curie Suessionensis una cum sigillo ipsius decani ad signis et subscriptionibus subsequentibus..... testium premissorum.

A gauche de la pièce, on lit: Et ego Johannes natus Jacobi dicti Judas de Mincyaco super Auxonam Suessionensis diocesis clericus, publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius ac curie Suessionensis tabellio, premissis omnibus et singulis dum sicut transcribuntur per prefatum dominum Aubertum decanum agerentur et fierent una cum notariis publicis et testibus in presentibus nominatis presens interfui. Ideo hic me subscripsi, signum quo utor in officio tabellionis in curia Suessionensi una cum sigillo prefati domini decani, signaculoque curie Suessionensis ac signis publicis et subscriptionibus dictorum publicorum notiorum apposui requisitus in testimonium veritatis. — J. de MINCIACO.

Au milieu, on lit: Et ego Petrus Saillardi clericus Sues-

sionensis, publicus apostolica et imperiali auctoritate curieque Suessionensis tabellio, quoniam ordinationibus declarationibus, fundationibus et statutis ac omnibus et singulis superius enarratis sic actis editis et factis et dum conderentur et fierent presens una cum ascriptis hinc inde tabellionibus publicis et testibus nominatis interfui. Hic me subscripsi signumque meum publicum consuetum ac signum quo in officio tabellionis utor in curia predicta rogatus apposui una cum signis tabellionum sigillorumque domini decani ac curie Suessionensis predictorum. In testimonium premissorum atque fidem.

SAILLARS.

A droite, on lit : Et ego Johannes Poussent de Albignaco Laudunensis dyocesis, publicus apostolica auctoritate tabellio qui premissis omnibus et singulis sic actis et dictis *agendis* (?) presens interfui cum notariis publicis et testibus supradictis. In his me subscripsi signumque meum solitum una cum signis et subscriptionibus notariorum prescriptorum et sigillo prefati domini decani ac curie Suessionensis apposui rogatus in testimonium premissorum. — **POUSSENT.**

Voici la traduction de la charte qui précède :

Au nom de la Sainte et indivisible Trinité, du Père, du Fils et du Saint-Esprit. Amen.

A tous ceux présents et à venir, qui les présentes lettres, charte et acte public, verront : Aubert de Guignicourt, doyen de l'Eglise de Soissons, envoie le Salut au nom de Celui en qui réside le véritable Salut de tous les hommes.

Considérant que rien de bon ne peut être fait sans l'aide du Christ ; Que les desseins les plus louables, en raison de

la fragilité humaine, avortent le plus souvent, à moins que la coopération divine ne les amène au but désiré....

(lacune causée par le délabrement du parchemin)

En conséquence, pénétré de cette importante considération, désireux d'arriver à bonne fin avec l'aide de J. C. notre Seigneur ; j'ai établi et j'établis, j'ai fait et je fais les dispositions et les statuts ci-dessous désignés, de plus je les ai fait et je les fais enregistrer suivant la coutume, conditions et forme désignées ci-après.

Reconnaissant envers le Très-Haut des biens et des honneurs que le Seigneur m'a accordés pendant ma vie et que, dans sa clémence infinie, il ne cesse de me prodigier; voulant me montrer reconnaissant de tant de bienfaits et méditer sans cesse sur mes obligations; Considérant d'autre part que le culte divin reçoit d'autant plus d'accroissement que se multiplie le nombre de ceux qui s'y dévouent et qu'il faut les choisir parmi les plus instruits dans les sciences grammaticales et libérales ; Désirant pour ces motifs et voulant fermement et de toute mon âme en faire élever et nourrir dans les sciences grammaticales et les études afin que, après avoir acquis les sciences morales et littéraires, ou au moins les sciences de grammaire, ils se livrent au service de Dieu pour le remède de mon âme et des âmes de mon père, de ma mère, de leurs parents, de mon frère Jacques, de mes autres frères, de mes sœurs, de mes amis, de mes bienfaiteurs ; j'ai donc, en conséquence, fait construire, fonder et réparer une maison ou hôpital, capable de recevoir dix-huit clercs qui étudieront la grammaire, et aussi leur maître et un valet cuisinier. Cette maison est située dans la ville de Soissons, rue Girondain, en face de celle de Thomas dit autrefois de Brumetz, appartenant anciennement à l'Eglise de Soissons. Elle était alors presqu'en ruines, chancelante et exigeait les plus coûteuses et les plus urgentes réparations ; et se trouve contigue d'une part à une maison appartenant à la

